



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 57. Cardinales conclave ingressi, Papam electuri

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. LVII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.*Cardinales conclave ingressi, Papam electuri.*

Postquam in Ecclesia Vaticana Callisti *Platina in*  
 exequiæ erant absolutæ, necnon cor- *Callist. III.*  
 pus in marmorea tumba depositum, Car- *Comment.*  
 dinales tunc Romæ existentes numero *Pii II. lib. I.*  
 viginti & unus decima die post funeris  
 solemnia de more conclave ingrediuntur,  
 quod in Palatio S. Petri dispositum fuit.  
 Duæ seligebantur capellæ, totidemque  
 aulæ, quarum amplior in cubicula Car-  
 dinalium habitationi accommoda distri-  
 buebatur, altera vero minus spatiosa, quæ  
 S. Nicolai capella appellatur, destinaba-  
 tur pro loco, ubi Sessiones celebrarentur.  
 Reliquum vero Palatii omnibus in con-  
 clavi existentibus pro ambulacro relin-  
 quebatur: Prima die, qua Cardinales  
 conclave ingressi sunt, nihil actum est cir-  
 ca electionem, sequenti autem capitula  
 quædam edita, quæ observari a novo  
 Pontifice statuebant, jurabantque singuli,  
 se ea servaturos, si electio in quem-  
 piam eorum caderet. Tertia demum  
 die, peracto Sacro solemnibus de Spiritu  
 sancto ad scrutinia procedunt, ubi inven-  
 tum est, quod Cardinales Bononiensis &  
 Senensis (hic ipse erat Æneas Sylvius)  
 potissima tulerint suffragia; ex reliquis  
 enim

**Sæcul. XV.** enim nullus plusquam tria numerabat.  
**A.C. 1458.** Guilielmum vero Cardinalem Rothomagensem ne unico quidem suffragio dignati sunt, sive quod parum acceptus aliis, sive regendæ Ecclesiæ impar iudicatus esset.

## §. LVIII.

*Cardinalis Rothomagensis Æneæ Sylvii electioni oblectatus.*

Quamvis Cardinales absolutis scrutiniis mutuo conferre soleant, experturi, an non forte eorum quisquam mutato consilio alteri accedere velit, quam viam *accessus* appellant, nihilominus hac die ejusmodi medio haud usi sunt, quæ res non modice offendit illos, qui electionem potissimum suis suffragiis deberi censebant. Ceterum soluto prandio rursus conveniunt omnes, atque auctoritate præcipui pro suis amicis qua precibus, qua promissis, quin etiam minis aliorum suffragia sollicitant. Verbo, Cardinales tanto æstu rem agebant, ut nullum tranquillitati locum reliquisse viderentur. (\*) Præ reliquis Cardinalis Rothoma-

---

(\*) *Platinam & Gobelinum Personam in Commentariis Pii II. hanc in rem allegatos lego, quæ autem Continuator hic refert, nullibi reperio*